

declaratione: An, attenta concessione hujusmodi Brevis in occurrence similitudinis Festivitatum Officium cum Missa dicti Beati recitare possint?

Et S. eadem R. C., „attentis circumstantiis, *celebrationem Missae solemnis* tantum ipsius Beati in dicta prima Dominica mensis Maji, cum *translatione* tamen *Officii* ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas, Oratoribus benigne concessit.“ n. 3865 die 10. Martii 1714.

Vd.: *Missa votiva de Sancto.*

78) In Solemnitate festi translati.

Vd.: *Transl. festi in dom. seq.* (decr. n. 5049.)

79) Tempore chori in altari maj.

Vd.: *Missa privata Canon. tempore chori.*

80) Tempore paschali.

Vd.: *Transl. festi s. Martyr.*

Dubia circa ordinationem Officiorum translatorum ad vel extra tempus Paschalis.

Dubium 1.: Dubitatur 1. Si Festum S. Martyris habens Missam de Comuni Paschali transferri contingat extra temp. Pasch., silente Missali circa Missam in tali casu legendam, an est liberum Kalendaristae assignare vel cuicumque privato Sacerdoti recitare Missam, quam maluerit de communi extra temp. Pasch. I. seu II. loco positam pro lubitu?

Dubium 2.: Dubitatur 2. Quatenus negative, quaenam in casu praefato et aliis similibus regula servanda est pro determinatione Missae et Ev. et Lectionum?

Dubium 3.: Dubitatur 3. Si contingat Festum S. Georgii die XXIII. Apr.

occurrentes transferri extra tempus Pasch., quomodo ordinandum erit Officium signanter quoad Lectiones II. et III. Noct.?

S. C. ... rescribendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum“, nimirum:

Ad 1.: Officium sumatur de Comuni Mart. extra temp. Pasch., retentis Lectionibus, Oratione et si quid aliud habet in proprio.

Ad 2.: „Regulam servandam esse ex ipso Ev. vel Oratione, si sit de Comuni, quae indicant, utrum sumpta sint ex I. vel II. loco.“

Ad 3.: „Jam provisum in praecedentibus.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4930 ad VI. VII. VIII. Die 11. Sept. 1841.

Romana.

XV. Kal. Maji natalis S. Aniceti Papae et Mart. plerumque tempore Pasch. occurrit, cujus Officium, cum sit ritus simp. in Breviario, adest unica Lectio pro Nocturno, atque in Missali assignatur Ev. ex cap. XVI. S. Joannis: *Amen, Amen dico vobis, quia plorabitis.* Controversia nunc orta est inter illos, qui, quum privilegio gaudeant agendi Officia SS. Summorum Pont. ritus dup., animis haerent, quodnam Ev. respondenti cum Homilia sit legendum, quando Festum ejusdem S. Aniceti transfertur extra Temp. Pasch., utrum scilicet supradictum S. Joannis, quod a pluribus uti ipsius Festi proprium consideratur, an alterum ex c. XVI. S. Matthaei: *Si quis vult*: de Comuni unius Mart. extra illud tempus, cujus respondentem Missam ex eodem Comuni: *Sacerdotes Dei*: omnes conveniunt legendam esse. Super eadem re, etsi levissima, magis magisque dubia sunt adaucta ex eo quod nonnulli

Kalendaristae Basilicarum Urbis in casu Evangelium S. Joannis assignent, nonnulli illud S. Matthaei, indicium, omnes in unum sensum non convenire. Ad quaestionem omnem dirimendam dubium delatum est ad S. R. C., quae in Ordinariis Comitibus ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, visis allegationibus ex utraque parte deductis, rite matureque examinata peculiari Rubrica Missalis, cujus dispositionem sequitur Gavantus in suo Octavario Rom., ab hac ipsa S. C. adprobato, rescribendum censuit: „Dicens in casu Ev. *Si quis vult.*“

Atque ita rescripsit ac ab omnibus servari mandavit. n. 4935 die 11. Sept. 1841.

81) Translatio.

a) Ab uno ad aliud altare vel ecclesiam.

Vd.: *Missa* (In altarib. et eccles. etc.); *Orator. priv.* (decr. Clem. XIV. 28. Apr. 1771.)

Clemens PP. XIII.

Alias emanarunt a fel. rec. Clemente PP. XII. ad supplicationem tunc existentium Capituli et Canonorum Cathedral. Mindonien. quaedam in simili forma Brevis Literae tenoris sequentis:

Clemens PP. XII.

V. Fr. Episcopo Mindonien.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedr. Mindon., quod in dicta Ecclesia quamplures tam antiquae ac etiam particulares foundationes missarum cantatarum numero trecentarum triginta duarum quolibet anno ad altare majus ejusdem ecclesiae ultra conventuales et alias Rogationum, Vigiliar., Feriar. et Funeralium celebrandarum reperiuntur, ita ut duae missae cantatae praeter

unam privatam tempore Primae quotidie in eodem altari celebrari correspondere, divinique Officii recitatio ob temporis angustiam valde difficilis reddatur, attenta etiam ea Matutini temporis parte, quae in convocando Capitulo bis in hebdomada et per alias vices in anno, in habendis concionibus ad populum per dies quinquaginta, in peragendis processionibus aliisque publicis Orationibus, quas vocant *las Dominicales*, ad ducentas et ultra singulis annis ascendentibus insumenda est. Cum autem ad occurrendum huic incommodae chori officinae Episcopus dictae Ecclesiae ejusmodi missas cantatas die 29. Septbr. usque ad diem 8. Maji subsequentis celebrandas ad Capellam s. Ignatii, intra claustra ejusdem Ecclesiae sitam, cum assistentia quatuor Canonorum aliorumque ministrorum tempore recitationis et cantationis hh. Primae et Tertiae transferretur ac ita usque in praesens recte observatum fuerit, ac divinum officium debito cultu celebrari debitoque tempore terminari soleat, ipsi vero exponentes nedum translationem earundem missarum cum cantu hactenus observatam per Nos approbati verum etiam Indultum celebrari faciendi in dicta Capella s. Ignatii per totum annum tot missas cantatas antiquas quam alias, quae ad dictum altare majus celebrandae supervenerunt, concedi plurimum desiderant, Tuque omnia exposita confirmans retuleris, ab annis quadraginta et ultra vigere observantiam celebrationis hujusmodi missarum cantatarum in praedicta capella, ex permissione Episcopi Munoz, ita Episcopis illi successoribus Teque approbantibus ob majorem cultum et decentiam in celebratione divini Officii aliisque functionibus, ac propterea eosdem exponentes nimis residentiae onere gravatos esse respectu multarum Cathedralium Regni Hispaniarum certos majores fructus

tidiana per negligentia, ò altra causa anche incognita per colpa di qualcunque persona per sei mesi continui, ò interrotti, in quel caso sin d' adesso il prefato Sig. Fundatore instituisse il Priore, e PP. di S. Martiano dell' Ordine de Predicatori di questa Citta di Tortona, trasportando in detta Chiesa non solo l'obbligo di celebrare detta Messa quotidiana all' Altare de Rosario, ma di più vuole, che detti Padri succedino nella rendita di detti scudi quaranta etc. privando come priva li Signori Castellani del detto Juspatronato, ut latius ex tabulis, quae in summano dabuntur. Ad haec usque tempora Missae hujusce celebratio sedulo exequuta fuit in praelibato Oratorio à Fundatore erecto; at in praesentiarum modernus Gubernator Marchio Litta humiles porrexit preces SS. D. N. ad Sac. Congregationem remissas, quatenus Apostolica auctoritate transferri possit supramemorata Capellania ad aliud Oratorium intra septa Castrum erectum pluribus adductis rationum momentis, ac praesertim quia sacellum à Disponente excitatum in humili situ pene temporum injuria labefactatum comperitur, adeo ut divina sacrificia minus decenti cultu ibi offerantur; neque repugnare huic translationi asseritur pii disponentis voluntas, quin etiam, ut dicitur, pinguius adimpletur attentae necessitate militum, qui aliàs sacrum audiendi commoditate destituuntur. Desuper igitur informare requisitus Episcopus Derthonensis Oratorii propitium votum protulit stante majori decore Ecclesiae in Castro existentis ac militum commoditate ad Missam audendam: sibi autem omnino perspectum, idem Relator asserit, indecentem primodicti Sacelli statum, cujus restauratio ob tenuitatem reddituum nedum difficilis sed pene est impossibilis praetereaque ejus situs magis ad impro-

borum confugium quam ad pietatem fovendam videtur opportunus. Quoniam vero contra insurgunt praelaudati Patres Ordinis Praedicatorum, qui autumant, ad eorum Ecclesiam translationem faciendam esse, quatenus hujusmodi casus evenierit, hinc proponuntur bina dubia sapienter ab EE. VV. resolvenda:

I. An sit locus translationi Missae quotidianae in casu etc.? et quatenus affirmativè;

II. An hujusmodi translatio cum capitali et redditibus assignatis fieri debeat ad Ecclesiam S. Martiani Patrum Praedicatorum sive potius ad Ecclesiam interiorem Castrum?

S. C. C. resp. ad 1.: Negative; ad 2.: Provisum in primo. Die 9. et 23. Febr. 1715.

82) Tres.

a) In Commemorat. Omn. fid. def.

Vd.: Missa (In Commem. Om. fid. def.).

Bracharen.

(Conc. Tr. Decr. de observ. et evit. in celebr. missae S. 22; decr. de Purg. S. 25.)

Humillimas dedit preces ad SS. D. N. ad hanc S. C. pro Voto remissas Archiepiscopus Primas Bracharen. enarrans frequentissimum undique ad suam Dioecesim concursum fieri Sacerdotum tum saecularium tum regularium in die Commemorationis omnium Defunctorum ad sacrificia litanda pro animabus purgantibus et maximas elemosynarum elargitiones ad hunc effectum à fidelibus offerri, hinc rogavit pro Apostolico Indulto, ut quilibet ex Sacerdotibus per totam dictam Dioecesim valeat eadem die tria missae sacrificia Deo immolare, tum quia non repugnat naturae sacrificii, ut eadem die ab eodem ministro pluries sacrificetur, tum quia antiquioribus saeculis

83) In Triduo hebdomadae s.

Non celebranda est missa etiam a Graecis presb., vd. Missae (plures presbyt. graec.)

84) Una Graecorum.

Vd.: Missa (altare); Missae (plures presbyt. graec.); Orat. priv. (Constit. Bened. XIV. §. 10); Nativ. Dom. (Miss. tres; Constit. Bened. XIV.); Ritus graec. (Constitut. Bened. XIV. „Allatae“ praecip. §. 36, 37, 38 etc.); Ritus graec. (de ritu graec. Melchit. §. 6.)

85) Utensilia.

Ad dubium: an Plebanus Ecclesiae parochialis loci Nuntiae ab Episcopo possit cogi ad subministrandum vinum, hostias, paramenta et caetera ad celebrandum necessaria Presbyteris in loco Nuntiae commorantibus et in dicta Ecclesia par. celebrare volentibus?

S. C. resp.: Episcopum non posse cogere Rectores sed hortari et Rectores recte facturos, si monitionibus . . . Episcopi pareant. n. 3643 die 31. Mart. 1703; n. 147 ad 3 die 10. Junii 1602.

Vd.: Stipendium (decr. S. C. Concilii de die 5. Julii 1664.)

86) In Vigilia Pentecostes.

Montis Regalis Provinciae Pedemontanae.

VII. Id. Jun. quotannis recurrente in Ecclesia Cathedrali Montis Regalis Provinciae Pedemontanae celebranda venit ex Legato Missa sollemnis de die cum cantu et assistentia Canoniorum, quae anticipari assolet praecedenti die, occurrente Dominica. Hisce positus hodiernus Archidiaconus S. R. D. sequens Dubium enodandum proposuit, nimirum: An occurrente Vigilia Pentecostes cantari possit dicta Missa juxta ritum pro Missis privatis praescriptum, cum Introitu Quum sanctificatus fuero, an differenda, vel anticipanda sit? Et S. eadem C. ad Quirinale sub infra-scripto die coadunata, audita relatione

passim id in usu positum erat, tum etiam quia certis solemnioribus diebus alicubi mos his permissus invaluit, tum pariter, quia consimilis instantia aliàs practicata fertur ab aliis Dioecibus et approbata ab Oraculo Pontificio pro Regno Valentiae et Cathalaunia, quemadmodum cuncta haec comprobare satagit Orator ex Theologorum et Canonistarum monumentis et doctrinis in summar. exhibend. Ex quibus Orator ipse sperat hanc gratiam libentius impertiendam favore Animarum purgantium, quibus non mediocri adjuvamento sunt missarum suffragia et ad quas magnus est devotionis fervor tam ipsius Oratoris quam Sacerdotum Dioecesis praedictae. Quibus quidem expensis et aliis deducendis non graventur EE. PP. pro eorum summa sapientia decernere:

An sit annuendum in casu, de quo agitur?

S. C. C. resp.: Negative et amplius. Die 14. Mart. 1711.

b) In Nativitate Dom.

Vd.: Nativit. Dom. (Missae tres); Missa (interrupta per mortem Sacerd., tom. II. pag. 157 etc.)

c) Novi Presbyteri.

Vd.: Missa (prima novi Presbyteri); Missa (interrupta per mort. Sacerdotis t. II. p. 156 etc.)

Juxta Pontificale Rom. Episcopus post Ordinationem Presbyterorum injungit eis obligationem celebrandi post primam eorum Missam unam de Spiritu S., alteram de B. M. V. et tertiam pro Defunctis; ad hoc ut obligatio isthaec facilius adimpleatur, possuntne dictae Missae in diebus dupl. min. celebrari?

S. eadem C. . . respondendum censuit: „Negative, sed in diebus a Rubricis permissis.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 11. Apr. 1840. n. 4878 ad 5.

minusque servitium habentium, ubi ibidem exponentes singulis horis canon. (tribus exceptis recreationis mensibus) choro interesse teneantur, sub rigorosa punctatura seu quotidianarum distributionum, quibus annui fructus omnium Capitularium constant, jactura; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere dignemur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratis prosequi volentes Fraternitati Tuae per praesentes committimus, ut veris existentibus narratis quoad praeteritam translationem dictarum missarum cum cantu ad praedictam capellam auctoritate Nostra ap. pro tuo arbitrio gratis approbes atque convalesces et quoad futurum praedictas missas ad eandem capellam per totum anni cursum exceptis tamen missis conventualibus ac diebus vigiliarum, quadragesimae et quatuor temporum, in quibus occurrat festivitas dupl. vel semid., quando praecipuae tunc sunt, celebrandae ad altare majus, dicta auctoritate transferas, salva tamen semper in praemissis auctoritate S. C. C.

Non obstantibus Quibuscunque.

Datum Romae die 24. Aug. 1733.

Quoniam autem dilecti filii, modernus Decanus et Capit. Cathedr. hujusmodi Nobis nuper exponi fecerunt, quod duo reticita fuerunt in praesentiarum literarum impetratione. Primum nempe, quod, ut plurimum, simul cum dictis missis aut diebus illas antecedentibus Nocturna Vesperae def. decantari debeant. Secundum vero, quod non omnes dictae missae, Nocturna Vesperaeque ad altare majus essent celebrandae, quum aliquae numero tamen paucae ad certa altaria a benefactoribus designata in eadem Ecclesia erecta celebrandae sint, imo una ex ipsis ad quoddam altare privil. decoratum pro animabus fid. def. celebrari debeat; quod ad primum attinet defectum,

tunc existens Episcopus, cui insertae literae datae fuerunt, ad dictam claustralem capellam nedum missas sed etiam Nocturna et Vesperas transtulit, quia, cum ex his oneribus quaelibet respectiva conflatur fundatio, ex concessa transl. missae, quae est pars nobilior, tacita concessa quoque videretur translatio Nocturnorum et Vesperarum, quae simul cum missis, ab inde citra, in claustro decantantur. Decreta quoque fuit ab eodem Episcopo translatio Missarum et Nocturn. et Vesperarum certis altaribus a benefactoribus addictarum, sed hujusmodi translatio suum minime habuit effectum; dicti vero Exponentes, ut tuta conscientia in posterum procedere possint ob eandem causarum tum expositarum subsistentiam translationem Nocturnorum et Vesp. ad dictam capellam peractam et huc usque observatam per Nos confirmari, et sicuti dicto numero trecentum triginta duorum Missarum tunc expresse comprehensae quoque fuerunt eae Missae, quae juxta benefactorum dispositiones ad certa altaria ejusdem Ecclesiae celebrandae veniunt, ita hae quoque *simul cum suis Nocturnis aut Vesperis pariter per Nos transferri et pro ea missa, cujus benefactor altare privileg. exquisivit, indulto altaris privileg. dictam capellam ditari plurimum desiderant.*

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratis prosequi volentes translationem supradictorum Nocturn. et Vesperarum factam tenore praesentium approbamus et omnes defectus, si qui intervenerint, supplemus, praeterquam quod missas, Nocturna et Vesperas decantandas in altaribus designatis de jure patronatus piorum benefactorum et quoad praedicta onera relicta in aliis ejusdem Ecclesiae altaribus non spectantibus ad dictos benefactores, accedente consensu illorum haeredum, eis-

demque Decano et Capitulo concedimus, ut missa, quam dictus Benefactor ad altare privilegiatum celebrandam voluit, quae ad altare Capellae hujusmodi quaecumque pro tempore celebrabitur, anima, pro qua celebrata fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privil. celebrata fuisset.

Non obstante quorumcunque piorum testatorum ac benefactorum, etiam ultima voluntate.

Datum Romae die 19. Jan. 1761.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 56. Ed. Rom. 1837.)

Clemens PP. XIII.

§. 1. Alias pro parte tunc existentis Ministri provincialis Ord. FFr. Min. s. Francisci Capue. nuncupatorum provinciae Picenae Nobis exposito, quod conventus loci de Gradara nuncupatus Pisarenensis dioec., ex dispositione quondam Ubaldi Cervini *pluribus abundabat eleemosynis missarum in altari ap. privil. decorato celebrandarum*, e contra vero alii circumstantes conventus dictae provinciae hujusmodi eleemosynis missarum ita indigebant, ut eorum necessitatibus occurrere minime possit; qua de re missas, quae in ecclesia dicti Conventus ad hujusmodi altare celebrari nequibant, per Ministrum provinc. pro tempore existentem in *aliis altaribus simili privilegio decoratis* ecclesiarum conventuum ejusdem provinciae, qui hujusmodi eleemosynis magis indigebant, celebrari facere posse summopere desiderabat.

Nos omnibus perpensis rescribendum mandavimus:

Ex Aud. SSmi diei 7. Decbr. 1763.

SSmus attentis expositis ac visis super iisdem informatione et voto, ut supra, P. Provinciali opportunas et necessarias facultates tribuit ad hoc, ut eas omnes missas, quas introscripti conventus Gradarae Religiosi in satisfac-

tionem indicati oneris ad enunciatum altare per annum celebrare non poterunt, *in aliorum conventuum ejusd. Provin. Picenae ecclesiis ac praesertim in iis, quae missarum eleemosynis magis indigent, ad altaria tamen ap. privilegio decorata celebrari facere possint et valeant*, dummodo Superiores locales hujusmodi conventuum resp. Provinciali legitima et authentica documenta de exacto missarum adimplemento transmittant. Servata in reliquis omnibus voluntate Testatoris.

Ex Secret. Memorial. die 1. Octbr. 1766.

§. 2. Nuper autem dilectus filius modernus Minister Provinc. Nobis supplicari fecit, ut pro majori praemissorum firmitate ea approbare et confirmare dignemur. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati praesentium rescriptum nostrum ac omnia et singula in eo contenta ap. auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque inviolabilis ap. firmitatis robur adjicimus.

Non obstantibus quibuscunque etc.

Romae. Die 23. Decbr. 1767.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 576. Ed. Rom. 1841.)

Clemens PP. XIV.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii, modernus Abbas et monachi monasterii s. Michaelis de Nemore nuncupat. Congreg. Monachorum montis Oliveti Ord. s. Benedicti civit. Bononiensis, quod alias nempe 1648 tunc in humanis agens Fr. Giorgi presb. reliquit seu instituit celebrationem unius missae quotid. in alia Ecclesia ss. Hieronymi et Eustachii Aquarum nuncupat. extra moenia praefatae civitatis existen-

§. 2. Verum quia Monachi ejusdem monasterii, qui pro celebranda hujusmodi missa ad dictam ecclesiam quo-

tidie se conferre debebant, alia eorum officia tam in choro quam in scholis prompte ac diligenter, ut par erat, adimplere minime poterant et in ecclesia ipsa, praeter 52 missas diebus dominicis annuatim celebrandas, alterius quotid. Missae celebratio non deficiebat, hinc dicti exponentes anno 1762 porrexerunt preces pro translatione celebrationis praefatae missae quotid. a dicto Francisco in memorata ecclesia institutae ad aliam eorum ecclesiam s. Michaelis et petitam gratiam translationis ad triennium tunc proximum et pro mensibus tantum hyemalibus obtinuerunt. Postmodum vero elapso trienio illud die 19. Nov. 1765 primum ad biennium, ac demum die 4. Apr. 1767 ad aliud biennium et quidem non tantum pro hyemalibus, sed pro caeteris quoque totius anni mensibus a S. C. C. prorogatum fuit.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, necessitas exeundi a monasterio praedicto pro celebr. hujusmodi missae etiam nunc efficiat, ut ii, qui illam celebraturi sunt, choro ac scholis assidue ac prompte interesse minime possint, non sine gravi periculo regul. disciplinae observantiae, quae favente Deo in monasterio admodum viget, hinc ut in posterum quoque periculum hujusmodi perpetuo avertatur penitusque deficiat, dicti exponentes facultatem transferendi celebrationem missae dictae quotid. in ecclesia Aquarum institutae ad ecclesiam s. Michaelis per Nos perpetuo concedi plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac, ut infra, indulgere de benignitate ap. dignaremur.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque eccles. sententiis, censuris et poenis

a jure vel ab homine latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censes, per praesentes committimus petitam perpetuam translationem celebrat. missae quotid. praedictae. Non obstantibus supradicti Francisci etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apost. caeterisque contrariis quibuscunque.

Romae die 31. Aug. 1769.

(Bullarii r. Continuatio t. IV. p. 80. Ed. Romae 1841.)

b) Quando Ecclesia vel monasterium, in quibus celebr. debet, transfertur.

Spoletana.

(Conc. Tr. c. 4. s. 25. De ref.)

Franciscus Senechetus in suo ultimo, cum quo decessit, Testamento, quod condidit die 14. Januarii 1703, suos scripsit universales haeredes Patres Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Nursiae et inter caetera, quae in eodem Testamento leguntur, habentur etiam haec verba: *oltre agli altri obblighi di Messe perpetue ordina il detto, che se ne dichino due altre perpetue in S. Lucia la settimana.*

Paulo post conditum Testamentum Ecclesia S. Luciae unacum Monasterio propter Terraemotum devastata remansit, ita ut Patres Oratorii die 11. Maii 1703 petierint et obtinuerint ab Episcopo Spoletano facultatem celebrandi in propria Ecclesia illas binas Missas hebdomadales, quas celebrare debebant in Ecclesia S. Luciae, usquequo eadem fuisset reaedificata et ad trames hujus concessionis onus duarum Missarum fuit punctualiter à Patribus adimpletum.

ad II.: Missas esse celebrandas pro diebus a D. Secretario destinandis, auditis patribus et monialibus.

Die 2. et 23. Maii 1722.

Gervien.

(Conc. Tr. C. 7. S. 25. De Ref.)

Eques Joannes Stephanus Guazzi in ultimo, cum quo decessit, Testamento anno 1700 haeredem sibi scripsit Dominicum Hieronymum nepotem et inter caetera in eodem Testamento sic disposuit: *itè jure legati intendo, e voglio ogni anno, che il mio Erede in perpetuo faccia celebrare Messe trè la settimana per l'Anima mia, e miei morti, cioè il Mercoledì, Venerdì, e Sabato dalli Reverendi Padri di S. Agostino al mio Altare, e darli un paolo per ogni Sacrificio, e non volendo, e non potendo supplire li suddetti Padri presenti, ò pro tempore, prego il Reverendissimo Capitolo presente, ò pro tempore far sodisfare, e per suo comodo all' Altare di S. Rogato Altare privilegiato il Lunedì.* Haeres satisfecit legatis et legata fuerunt adimpleta in Ecclesia S. Augustini, sed secutà translatione Civitatis Cerviae propter aëris insalubritatem à loco, in quo erat, ad locum Mari viciniorem, habitaque à Patribus facultate antiquum Conventum unà cum Ecclesia destruendi novumque Conventum et novam Ecclesiam aedificandi in novà Cerviae Civitate, quaestio exorta est inter Dominicum Hieronymum Joannis Testatoris haeredem et praedictos Religiosos, contendente illo Missas esse celebrandas in Cathedrali et in Altari S. Rogati, ex quo factus est casus, quod Patres non possunt Missas celebrare in Altari à Testatore designato, et contententibus è contrà Patribus Missas in suà novà Ecclesia esse celebrandas, cum haec sit subrogata loco alterius et translatio Conventus

Cum autem Ecclesia S. Luciae nunquam fuerit reaedificata et Moniales in Monasterio degentes fuerint auctoritate san. mem. Clementis XI. translatae ad Monasterium Monialium SSmae Trinitatis una cum omnibus et singulis bonis, mobilibus et immobilibus, censibus, domibus, haereditatibus et legatis, suppellectilibus tam sacris quam prophanis, juribus quibuscunque, nec non praerogativis, privilegiis, exemptionibus, oneribus, obligationibus ad suum Monasterium pertinentibus, uti legitur in literis Apostolicis a dicto Pontifice expeditis, controversia exorta est: an Patres S. Philippi binas Missas hebdomadales celebrare possint in propria Ecclesia vel teneantur eas celebrare in Ecclesia Monialium SSmae Trinitatis et quibus diebus celebratio haec sit adimplenda?

Scriptum fuit Episcopo pro informatione et voto, idemque fuit in sensu, tam attenta lege Testamenti, quam attentis verbis literarum Apostolicarum Patres teneri ad celebrationem in Ecclesia Sanctissimae Trinitatis, idemque fuit resolutum ab hac Sac. Congregatione die 24. Augusti 1720.

Cumque Patres huic resolutioni non acquieverint et jura hinc inde circumferantur, onus erit EE. VV. decernere:

I. An binas Missae in singulas hebdomadas ordinatae per quondam Franciscum Senechetum celebrari debeant in Ecclesia PP. S. Philippi Nerii, sive potius in Ecclesia Monialium Sanctissimae Trinitatis? et quatenus in hac Ecclesia,

II. An liberum esse debeat dictis Patribus celebrare easdem Missas quibuscunque diebus infra quamlibet hebdomadam?

S. C. C. resp. ad I.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam;

et Ecclesiae de loco ad locum, non ex voluntate sed ex necessitate facta sit et Animae suffragium, quod praecipue volitum censi debet à Disponente, aequè habeatur, sive Missae in unà Ecclesià sive in alià celebrentur, juxtà magistralem decis. 1149 coràm Seraphino.

Actum fuit de hac controversià in Congregatione habità die 18. Maji 1715 et in subsequenti habità die primà Junii, nèc ulla fuit capta resolutio; cumque in praesenti Partes instent pro resolutione et jura hinc indè circumferantur, onus erit EE. VV. discernere:

An Missae tres hebdomadales, de quibus agitur, sint celebrandae in Oratorio Patrum S. Augustini, vel potius in Ecclesia Cathedrali in casu?

S. C. C. resp.: Missas esse celebrandas in Ecclesia Cath. et amplius. Die 6. Mart. et 24. Apr. 1723.

c) Ab uno ad aliud Oratorium.

Vd.: *Missa* (in Ecclesia certa etc.)

I. Permissa.

Placentina.

(Conc. Tr. C. 6. Sess. 22. De ref.)

Recitatis supplicibus precibus Marchionissae Geltrudes Malvicinae pro benigna translatione onerum missarum, quae ex dispositione Marchionissae Angelae Cremonae Vicedominae de Mandellis in Oratorio nuncupato *Menaroli* offerri debent, ad alterum Oratorium existens in Feudo *Ometi*, in Congregatione diei 29. Julii anni prope defluxi EE. PP., antequam desuper quidquam decernerent, melius edoceri ab Episcopo exquisierunt juxta instructionem, videlicet; Quoniam Civium numero tam locus *Ometi* quam locus *Menaroli* sit refertus? an facilis eorum Incolis sit accessus ad Parochialem Ecclesiam ejusque distantia exprimeretur.

Quatenus vero precibus indulgeretur, num Oratorium, de quo agitur, absque dote destitutum remaneret, adeo quod ad profanos usus redigi deberet, vel quomodo consulendum? Supremis itaque exceptis mandatis idem ipse Episcopus, ut par est, obsequendo, nuper retulit, in loco *Menaroli* incolas esse trium familiarum homines ruri incumbentes, quibus facilis est accessus ad binas Parochiales Ecclesias, uno circiter milliario distantes. *Ometi* vero locum centum et ultra homines inhabitare, qui tantum opportunitatem habent audiendi Sacrum in praememorato Oratorio, cum ad Parochiales Ecclesias duorum milliarium intercapedine disjunctas accessus saepe prohibeatur tum ex difficultimis et montuosis viis, cum etiam ex binis torrentibus interfluentibus. His favore Oratricis accedere praelaudatus Relator prosequitur, quod *Ometi* Oratorium satis elegans comperitur decentique suppellectili instructum, aliud vero *Menaroli* speciem referat cubi- culi undequaque ruinam minitantis, quod ulterius ex adjacentibus aedificiis sordescit, adeo ut profanum declarari expediret, eo facilius, quod moderni Patroni sartum tectum idipsum conservare recussent. Propterea saepedicta Oratrix preces renovat pro expetita gratia sub alias proposito dubio:

An et quomodo sit locus commutationi voluntatis in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 27. Jan. 1714.

II. Non permissa.

Vd.: *Missa* (in Eccles. certa etc.)

Ulixbonen.

(Conc. Tr. Decret. de Purgat. Sess. 25.)

Inde ab anno 1567 Ecclesia B. Virginis Immaculatae Conceptionis Ordini militari *Christi* subjecta Ordinaria auctoritate in Parochialem erecta fuit ac-

cedente consensu Sebastiani tunc Lusitaniae Regis Magni Magistri ac potissimum inter partes conventum fuit, quod praeter Sacerdotes et Clericos moxdicti Ordinis Vicarius aliique Ministri pro animarum cura aliisque oneribus exsequendis in praelibata Ecclesia versari possent, qui omnimodae Archiepiscopi Jurisdictioni subjicerentur. Verum enimvero post saeculi fere decursum acres exardescere coeperunt controversiae tum inter Archiepiscopum ac Tribunal, *Conscientiae* nuncupatum, cum etiam Parochum inter ac Militares Ordinis praefati; de anno 1682 Archiepiscopus ipse animarum hujusmodi curam transferendam duxit ad Sacellum B. Virginis de Victoria in districtu alterius Parochiae ac septemdecim elapsis annis constabilivit in Ecclesia nuncupata Sanctissimae Conceptionis Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti sumptibus magnifice erecta. Quoniam vero tum temporis, quo saepedicta Parochialis cura resedit in primum nuncupata Ecclesia Sanctissimae Conceptionis Ordinis militaris *Christi*, quamplures pii disponentes missarum onera Confraternitati inibi exsequenda injunxerunt; impraesentiarum eadem ipsa supplex confugit ad SS. D. N. precibus ad Sac. Congr. remissis pro benigna translatione mox dictarum missarum ad Ecclesiam recens erectam, tum ex praesumpta Benefactorum mente, qui contemplasset, ut asseritur, videntur tam societatem quam animarum curam, quae modo in eadem Ecclesia viget, cum etiam ex quo Militares connivere nequeunt, ut sacrificia hujusmodi in eorum Sacello offerantur eorumque celebratio comprobetur.

Commissa praemissorum verificatione Ordinario Ulixbonensi idem ipse praelibatam facti seriem recenset, eo vel addito, quod piorum disponentium major pars tumultata comperitur in memorata Ecclesia Ordinis militaris ac recensitis

quattuor documentis, in quibus jamdicta missarum onera relicta fuere, censet, precibus indulgeri posse; placuit vero EE. PP. sub die 30. Aprilis anni 1712 rescribere quoque Nuntio Apostolico pro informatione, auditis ministris Ecclesiae saepedictae ac transmissis particulis foundationum, de quibus agitur; quapropter nuper redditus literis idem Nuntius suprarecensita confirmat propitiumque votum itidem pandit, descriptis requisitis dispositionibus, ut latius ex utraque informatione in summano danda. Hinc reliquum est, quod EE. VV. sapiens oraculum pandere non graventur sub dubio:

An et pro quibus oneribus missarum sit concedenda translatio?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 14. et 28. Apr. 1714.

Derthonen.

(Conc. Tr. C. 6. S. 22; C. 4. 5. S. 25. De ref.)

Anno decurrente 1669 Nobilis Emmanuel Sanchez de Guevara Civitatis Derthonensis Gubernator à fundamentis construi fecit publicum oratorium sub titulo *Christi*, propè et extra Castrum ejusdem Civitatis, ac percipiens ad majorem Dei Gloriam Missae sacrificium ibi celebrari Capellaniam erexit de Jurepatronatus laicali Gubernatoris pro tempore jam dictae arcis cum dote annui redditus scut. 40 onere injuncto Capellano amovibili ad ejus nutum quotidianae celebrationis; utque perpetuis temporibus ejus voluntas ad effectum reduceretur, Exequutorem deputavit Inquisitorem Derthonensem, postremò dispositionem hanc exaravit: *Venendo il caso fosse distrutta la detta Capella, ò per servizio di S. M. Catholica, ò dall'ingiurie di guerre, o per altro sinistro impensato accidente di fortuna, ò vero attualmente non si celebrasse la detta Messa quo-*